

CAPUT I

1. Osculetur me osculo oris sui: quia meliora sunt ubera tua vino (1):
2. fragrantia unguentis optimis. Oleum effusum nomen tuum: Ideo adolescentulæ dilexerunt te.
3. Trahe me: post te curremus (2). Introduxit me Rex in cellaria sua: exultabimus et laetabimur in te, memores überum tuorum super vinum: recte diligunt te.
4. Nigra sum, sed formosa, filiae Hierusalem, sicut tabernacula Cedrorum, sicut pelles Salomonis.
5. Nolite me considerare, quia fusca sum (3): quia decoloravit me Sol: Filii matris meae pugnaverunt contra me, posuerunt me custodem in vineis: vineam meam non custodivi.
6. Indica mihi quem diligit anima mea, ubi pascas, ubi cubes in meridie, ne vagari incipiam post greges sodalium tuorum.
7. Si ignoras te, o pulcherrima inter mulieres, egressere, et abi post vestigia gregum tuorum (4), et pasce hoedos tuos juxta tabernacula pastorum.
8. Equitatu meo in curribus Pharaonis assimilavi te, amica mea.
9. Pulchrae sunt genae tuae, sicut turturis: collum tuum sicut monilia.
10. Murenulas aureas faciemus tibi, vermiculatas argento.
11. Dum esset Rex in accubitu suo, nardus mea dedit odorem suum.
12. Fasiculus myrrhae dilectus meus mihi, inter ubera mea commorabitur.
13. Botrus cypri dilectus meus mihi, in vineis Engaddi.
14. Ecce tu pulchra es, amica mea: ecce tu pulchra es: oculi tui columbarum.
15. Ecce tu pulcher es, dilecti mi, et decorus.—Lectulus noster floridus,
16. tigna domorum nostrarum cedrina, laquearia nostra cypressina.

PRIMA EXPLANATIO

Prius de exteriore sententia dicam, posterius interiorem, et veram persequar. Igitur, ut dixi, hic inducuntur in speciem pastores duo, vir et foemina, et inter se amant.

(1) Numeros versibus, claritatis gratia, praesenti editione apponimus Bibliae vulgatae inhaerendo.

(2) Deest in origin: *in odorem unguentorum tuorum*, sicut in Vulgata nunc legimus.

(3) In hodierna autem Vulgata: *quod fusca sim.*

(4) In eadem vero Vulgata absque *tuorum*.

IN CANTICUM CANTICORUM EXPOSITIO

tes, et invicem a se distracti: qua ex distractione, moerore, atque desiderio male affecta foemina, languere fingitur, itaque dicere: OSCULETUR ME OSCULO ORIS SUI. Videlicet, sociae vina illi, atque unguenta adferebant, quo eorum vel odore, vel haustu fugientem animam revocaret: quae illa, respuens dicit: OSCULETUR ME OSCULO ORIS SUI. Quasi ita diceret: Amovete ista hinc, atque auferte, nihil enim ad me morbo liberandum ista faciunt. Desiderio viri mei languageo: nec, nisi eo viso, morbo liberari possum. Adsit ille modo; mihi, oscularum suorum aliquid impertiatur, id mihi ad sanitatem recuperandam satis erit: nec, praeter id, quidquam erit satis. Itaque: OSCULETUR ME OSCULO ORIS SUI. Hebraice מִנְשִׁקּוֹת Minesicoth, id est de, vel ex osculis, hoc est uno, aut altero osculo, atque adeo nonnullis osculis. Nom enim, inquit, multa millia oscularum deponso: vel uno aut altero illius osculo jam pene amissam vitam recuperabo. Ducta est autem haec omnis oratio non solum ex affectu, sensuque amantium, sed etiam ex natura ipsa rerum. Nam amantium animi non tam secum ipsi, quam cum iis, quos amant, versantur: quoque longius ab illis absunt, eo magis a se, et a suis corporibus discedunt: minusque vim suam illis impertiuntur, ex quo corpora ipsa macie attenuantur, pallentque, ac viribus animi destituta languent. Qui languor corporis quoniam ex absentia, et aberratione, ut ita dicam, animi totus oritur, ideo corpora ipsa naturae tacito sensu, suoque nutu revocare ad se animum suum cupiunt. Is autem cum eo, quem amat versatur, et apud illum habitat. Avent igitur eodem naturae inducit amicos videre, arcteque complecti, et id animi sui, quod intra illos est, haurire quoquo modo possint, et ad se transferre. Quod quoniam jungendis osculis, animaque legenda videtur maxime posse effici, ex eo fit, ut in amore tanta sit osculandi, vel cupiditas, vel voluptas. Languet itaque sponsa ex amore: cuius languoris medicina omnis in deosculazione sita est. Recte igitur id unum flagi-